
7

OEDIPUS OSTEOLITHOLOGICUS,
SEU
Dissertatio Historico-Physica,
DE
CORNIBUS
ET
OSSIBUS
FOSSILIBUS CANSTADIENSIBUS,
in duas partes divisa.

Opera

DAVIDIS SPLEISSII, Phil. & Med. D.
Gymnasii quod est Scaphusiæ,
Matheseos Prof.



Apud Joannem Rudolphum Frey/ Bibliopolam
Scaphusiensem.
1701.




Petron. Arbiter.

Fallunt nos oculi, vagique ſenſus
Oppreſſa ratione mentiuntur.





SERENISSIMO.
PRINCIPI. AC. DOMINO.
DOMINO.
EBERHARDO. LUDOVICO.
DUCI.
WIRTENBERGIÆ.
TECCIÆQUE.
COMITI.
MONTISBELIGARDIÆ.
DYNASTÆ.
HEIDENHEMII.
PRINCIPI. AC. DOMINO.
SUO.
CLEMENTISSIMO.
HUNCCE.
OEDIPUM. OSTEOLITHOLOGICUM.
OPTIMO. JURE.
HUMILLIMO. OBSEQUIO.
D. D. C. Q.
DAVID. SPLEISSIUS.



SERENISSIME DUX, CLEMENTISSIME PRINCEPS!



FErunt, ut antiquitatis splendor Plutarchus, memoriæ prodidit, aliquando arietis caput cum *unico cornu* ad Periclem, magnum Atheniensium Ducem, fuisse ex agro delatum, ac vatem Lamponem, ut *cornu* validum conspexit & firmum media enatum fronte, duarum dixisse, quæ tunc in urbe erant factionum, Thucydidis & Periclis, potentiam ad unum delatum iri, apud quem hoc prodigium evenisset: Anaxagoram vero, quum os capitis dissecuisset, monstrasse, non complesse cerebrum sedem suam, sed ovi modo acutum ex tota testa devolutum eò loci, unde originem radix *cornu* duceret. Atque in præsentia quidem habuerunt in admiratione, qui intererant, Anaxagoram: brevi post Lamponem, quum opibus fractis Thucydidis, resp. universa in Periclis manum recidisset.

recidiſſet. Poterat verò rectè uterque conjeciſſe, tam phyſicus, quàm vates, alter qui cauſam, alter qui exitum probè eſt aſſequutus: illius erat enim munus, unde proveniſſet, & quemadmodum eſſet enatum, contemplari: hujus ad quid genitum eſſet, & quid portenderet, prænuntiare: in vita Periclis.

Cornua & oſſa foſſilia copioſiſſima, SERENISSIME PRINCEPS! quæ ab aliquo tempore ex agro TUO Wirtembergico effoſſa, in conſpectum prodiere, ſimili modo, & majori quidem ratione, in admirationem rapuerunt non tantum TE regionis Principem, ſplendidis exornatum virtutibus, ſed & aulæ TVÆ clara lumina, quæ tot Chriſtiani nominis Lampones, ſagaciſſimos vates, tot Anaxagoras, perſpicaciſſimos philoſophos dixerim. Imo ad quoſcunque Naturæ myſtes mobilis fama prodigioſam, ut videbatur, hanc rem retulit, criteria diverſa produxit: alter hoc, alter aliud vaticinans, quo cum ſucceſſu, meditationum collatio probabit & eruditorum judicioſa deciſio.

Periclem plurimum uſum eſſe Anaxagora, poſtquam melliflua Plutarchi penna memoraſſet

morasset ibidem, eoque factum, ut maximum ei pondus & spiritus ad populum tractandum solidiores conciliarit, planeq; majestatem morum excitarit & extulerit: Nec vero, *subjungit*, hunc solum fructum tulit Pericli Anaxagoræ usus, verum omni etiam liberavit eum superstitione, quæ terrorem ex rebus æthereis imprimit ignorantibus earum causas, & iis, qui rerum divinarum metu pavent percelluntur que rudes earum: quem eximens naturalis ratio, pro terrifica & æstuante superstitione, securam inserit cum bona spe religionem.

Licet, SERENISSIME PRINCEPS! Pericli TE conjungere suadeat comparatio Stemmatis ab antiquissimis temporibus illustrissimi, similitudo virtutum verè heroicarum & tanto Principe dignissimarum, potentia, magnitudo mentis, clementia, justitia, & qui vitæ humanæ veræ deliciæ, & in regno complementum felicitatis est, amor mutuus Principem inter & populum existens, ab Illustrissimis TUIS Majoribus jam Celebratissimus, felicissime in SERENITATEM TUAM propagatus: Licet inquam, multa conspirent inter

ter EBERHARDUM LUDOVICUM Wirtembergiæ,& PERICLEM Atheniensium Duces, tamen hoc maxime discrimen inter Eos intercedit, quod qui est insita vi ingenii ab omni superstitionis nævo alienissimus, palmam hac in parte præripiat necesse est, illi, cui in Ethnicismi caligine nato & educato, labore magno præceptoris, exstirpanda erat ista præocupatæ mentis eclipsis.


Nec est itaque cur Lamponis in modum, in examine *cornuum & ossium* fossilium Canstadiensium, cœlum terræ misceamus, & Principi perspicacissimo prodigia objiciamus, cum in promtu sint nobis, cum Anaxagora, non tantum rationes physicæ, sed etiam monumenta historica, quibus res abstrusa licet, explanari & à dubitationum tricis liberari potest. Si verò vel mihi Davo, qui œstro vaticino haud sum percitus, Oedipi vices augurемque agere licet, de *Cornuum fossilium* Wirtembergensium copia, tanquam totidem Amaltheæ *cornibus*, non nisi omnium rerum ad vitæ felicitatem pertinentium copiam, fortitudinem insuperabilem contra malitiosos almæ pacis osores, tot munimenta pro

ta pro tranquillitatis publicæ conſervatione, nova *cornua ſalutis*, tribus SERENISSIMÆ DOMUS Wirtembergicæ inſigniorum Cornibus, ſub protectione magnanimi Principis EBERHARDI LUDOVICI, novum robur addentia, faxit DEUS, bono cum eventu, augurari poſſum.

SERENISSIME PRINCEPS! ſcio quod aula TVA Sereniſſima philoſophorum optimis ſit ſtipata, qui Anaxagoræ vices agere, vel ſi opus fuerit, TIBI Ariadnæum filum, ex Cornifero & Oſſifero TUO Labyrintho viam monſtrans, ducere poterunt: imo me non fugit, ſublime SERENITATIS TUÆ robur ingenii adeo penetrans eſſe, ut vel ad exemplum magni regis Macedonum de Jove Cornigero nati, innumeris clari triumphis, & cujus juventa viriles annos ſuperavit, Gordiorum IPSE nodorum diſſector eſſe poſſis. Sed iſta me non morantur, quò minus [ad id quidem humaniſſime invitatus, à Magnifico TVO Conſiliario & Medico, DN. D. Salomone Reiſelio] aliorum clariſſimorum Virorum conceptibus, meum quoque ſymbolum addam. Ex quo, ſi clementiſſimus

tissimus assensus SERENITATIS TUÆ, [sub cujus auspiciis & gubernaculo detectum est curiosissimum hoc scribendi objectum,] sperari posset, esset omnino cur mihi gratularer. SERENISSIMA igitur fronte, pro agnita in studiorum cultores clementia, meas hasce pagellas, quas præ pedibus TUIS humillime nunc evolvere nitor, aspice, quippe quæ si quidquam boni continebunt, tanto Tutelari Deo jure merito sacræ esse debebunt.

DEUS T. O. M. qui TE columen gentis TUÆ constituit, roboret invicta virtute TUA consilia, TUOS conatus, ut instar Monocerotis alexipharmaca qualitate præditi, continuo debellare possis, quidquid languidas reddere posset TIBI subditas regiones: ut solidissimum SIS atq; fœcundissimum Unicornu salutis, quod sese pro ædificatione SERENISSIMÆ DOMUS WIRTEMBERGICAE, & pro consolatione populi TUI, in floridis Nepotibus, ad numerum Unicornuum Canstadiensium fossilium, absque corruptionis labe perennans & indelibatum videat. Scaphusiæ Helvetiorum, anno Salutis MDCCI. die 26. Maji.



OEDIPUS OSTEOLITHOLOGICUS,

Seu

Dissertatio Historico-Physica

de

Cornibus & Ossibus fossilibus Canstadiensibus.

PROOEMIUM.



Ccasio hujus dissertationis est admiratio, quam ignorantiæ filium qui dicunt, impropriè loquuntur. Quidni admiranda Dei opera à sapientibus magis, quam ab imperitis admirarentur? Quæ enim quis ob rara phænomena suspicit, ea investigat; quæ investigat, ea materiam præbent meditationis: quò magis autem quis meditatione mentem excolit, eò magis Opificis Omnipotentis bonitatem, rerum naturalium ubertatem, varietatem, affectiones, mutationes, & concinnam nihilominus harmoniam, admirari tenetur. Ex altera parte ignorantis est, si in rem haud quotidianam quoque fortuitò impingat, eam per transennam saltem aspicere, imo vix ob cœcitatem mentis sensuum externorum censura dignam judicare. Admiratio inquam, in illis, quibus è meliori luto finxit præcordia Titan, non est effectus ignorantiæ, sed affectus mentis sublimioris verè heroicus, ex operibus Opificem, ex creaturis Creatorem investigantis atque cognoscentis.

ſcentis. Præclare nobis hujus veritatis exemplum præbet, divino ſpiritu perflatus & regiis virtutibus inſtructiſſimus vates ille regius *David,* dum admiratione rerum divinarum humanarumq; percitus,pie & ſapienter modulatur: *Quàm ampla ſunt opera Tua, ô Jehova! quàm omnia ſapienter feciſti! quàm plena eſt terra poſſeſſione Tua!* Pſalm. CIV. v.24. & iterum: *Jehova Domine noſter! quàm magnificum eſt nomen Tuum in univerſa terra; cui exponis ſupercœleſtem decorem Tuum!* Pſ. VIII. v. 2. nec non: *Benedictus Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus*, Pſ. LXXII. v. 18. Siracides quoque Hebraicæ gentis legislator virtutum, admiratione Dei operum ductus, ita: *Dedit hominibus ſcientiam Altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis*, lib. Eccl. cap. XXXVIII. v.6. Eandem regiam ingrediuntur viam, quicunque è tenaci ignorantiæ luto ſeſe extricare, & almam veritatis facem perſeqnendo & amplectendo, ad aſtra volare conantur. Nam

Felix, qui poterit rerum cognoſcere cauſas!

Hac in parte non ſatis deprædicare quoq; poſſum, Viri Illuſtris ac Generoſi, *Dn.* *Petri Valkenierii,* Celſorum & Præpotentum Confœderati Belgii Ordinum p.t. ad Helvetorum & Rhætorum Reſpublicas Ablegati meritiſſimi, pro pacis publicæ conſervatione licet ſemper occupatiſſimi & indefeſſi, haud vulgarem tamen in conquirendis rarioribus Naturæ cimeliis (non aurum gemmasque, ſed foſſilia naturaliter affabrè ſignata puto,) ſolertiam, undique ſibi conquiſitorum ſagaciſſimam diſquiſitionem, & inde natam cognitionem exquiſitam, qua inſtructus, de omnibus & ſingulis egregium fert judicium, ita tamen, ut pro more magnarum mentium, nec aliorum quoque floccipendat criteria, ſed pro agnita generoſitate, mediratione digna cenſeat. Sic illuſtris hic Vir, in omni ſcibili verſatiſſimus,

mihi Davo licet, non Oedipo, quò Dissertationem hanc qualemcunque exararem, author extitit benignus, eidemque Oedipi nomen imponam, conceptuum assensu gratioso præbuit occasionem: qua itaque, si quid emolumenti in orbem literatum redundabit, Ipsi tribuat curiosus lector, rogo. In humanissimam illustris Viri invitatoriam epistolam anni præteriti, pro singulari in immerentem gratia ad me exaratam, meam responsionem saltem opusculo præfigere visum est, quò natales harum meditationum, de abstrusis admodum Cornibus & Ossibus fossilibus Canstadiensibus, eò melius innotescant: Quæ sequentibus absolvebatur: *Illustre & Magnifique Seigneur! L'honneur de Vôtre lettre tout à fait engagante, tant par rapport à la grace particuliere, que Vôtre Excellence m'en temoigne si tendrement, qu'à l'egard de la communication de ces pieces curieuses de nouvelles decouvertes faites à Canstat, deja si renomées parmis les gens des belles lettres, me serviront d'aiguillon, à tacher, de ne jamais laisser échapper aucune favorable occasion, pour montrer en effect, combien je suis redevable à Vôtre Excellence. Et c'est ce méme dessein, qui m'empechât jusques icy, d'estre plus ponctuel, en donnant mon sentiment sur ces recherches. Car l'histoire du fait, & des circonstances d'une production semblable, si necessaires pour devenir au bout des pensées, m'estant inconnues, il me sembloit, d'estre à propos, d'en attendre l'eclaircissement auparavant, d'une personne de foy, & d'un temoin oculaire, qui est Monsieur Reisel, premier Medecin de Son A. S. le Duc de VVirtemberg; à qui j'ay écrit sur cette matiere. Lequel differant sa réponse, que j'attans, je me trouve contraint, de donner à Vostre Excellence, sur un sujet pas suffisament eclairci, mon advis, peut estre pas mieux fondé. Mais pourtant, me confiant pour cette fois, à ce peu de circonstances, qui m'en sont connues, je soutiens avec Vôtre Excellence; que cette decouverte, n'est qu'un amas d'ossemens, de toute*

sorte

ſorte des bétes, qui y ſont eſté enſeveli depuis pluſieurs ſiecles, dont une partie, par la reception d'un ſuc petrifiant dans leurs pores, à obtenu la conſiſtence de pierre. Mais de croire, que ce fuſſent des reliques d'une defaite du temps des guerres, entre les anciens Romains & Allemans, c'eſt cette difficulté, qui m'en empeche, qu'il n'y an a plûtoſt des oſſemens d'hommes, que de bétes. Cette penſée m'a deduit à la conſideration de la coûtume des anciens, de faire leurs ſacrifices. Plutarque & Macrobe entre autres, nous en inſtruiſſent, que parmis les Payens, auſsi bien Romains, qu' Egyptiens, il n'eſtoit pas rare, de faire ces ſortes de ſacrifices, qu'ils appellent Piacula, (non enim tantum Superis, ſed etiam Inferis ſacrificabant,) où leurs Prétres egorgerent pluſieurs ſortes des bétes dans une caverne, laquelle puis apres ils renfermerent; penſant de renter ainſi en grace de Pluton, ou d'un autre Numen enraché contre leurs pechés. La méme idolatrie on peut ſoutenir des anciens Allemans & Suevois méme, dequels Schedius de DIs Germanis, ſelon Tacite temoigne, qu'ils étoient entr' autres fermement attaché à la ſuperſtition de l'Iſis des Egyptiens; laquelle étant adorée, comme Deeſſe de la Nature, l'abondance (hubertas) de laquelle fût marquée par quantité de mamelles au ſein. Ce qui m'a donné auſsi ſujet, de ſouçonner, avec la bonne grace de Vôtre Excellence, que peut eſtre nos anceſtres enſorcellé de bigoterie, (car en noſtre Suice méme, il y a encore des monumens des Temples d'Iſis & de Mercure, à Vindoniſſe & à Vetingue,) ont preſté ce méme hommage à leur Patron & Patronne, laquelle à ce que prouve Kircher, (Obeliſc. Pamphil. l.3. c.7.) n'eſt autre, que la Proſerpine. Mais, Magnifique Seigneur! ce ne ſont que des Chimeres, je l'avoue, s'il eſt vray, ce qu'on me rapporte d'autre part de cette grotte d'oſſemens; c'eſt à dire, qu'on y trouve encore des mâchoires & des dents d'une grandeur effroyable d'onze pieds de longeur (qui duſſent eſtre des bétes ſans exemples en ces quartiers,) juſqu'au moindre degres de mâchoires & des dents de ſouris; mais s'ils ſont

ou d'os, ou de pierre; on ne me dit rien. Que dirons nous la dessus, si la chose est comme cela? Pour moy, je suis contraint par necessité, de suspendre mon jugement, jusqu'à ce, que j'auray le bonheur, ou de voir une description de toutes les circonstances, ou bien le lieu méme, qui produit ces merveilles. Cependant, en souhaitant de tout mon cœur à Vôtre Excellence & à toute Vôtre illustre famille, une bien heureuse nouvelle année, & beaucoup suivantes du nouveau siecle, comblées de toute sorte de prosperité & succes en Vos illustres employs, je demeure de Vôtre Excellence, &c. Schaffhouse le 15me. *Janvier.* 1701. Nec denique Viri venerandi ac Magnifici D. D. Salomonis Reiselii, Philosophi, Medici, Mathematici solertissimi, de mundo erudito ob præclaros animi fœtus optime meriti, Consiliarii, & Archicatri Ducalis Wirtembergici dignissimi, laudes reticere possum, quatenus postmodum ad petitionem meam, tam promto animo, & qua est in literatos & emolumentum literarum animi propensione, præcipuarum circumstantiarum ad rem facientium relationem, lubentissime comunicavit; quam etiam ex authographo ejus, ad majorem dilucidationem adnectere, consultum esse duxi.

Relatio, de loco natali Cornuum & Oßium foßilium Canstadiensium, & specierum, quæ ibidem hucusq; sunt repertæ.

CAnstadii, quod est oppidum Wirtembergicum, Stutgardiâ horæ unius spatio distans, ubi Romanorum stativorum multa supersunt monumenta & vestigia, in colliculi calcariis saxis obsiti olim, & adhuc repleti, mille gressibus ab oppido dissiti loco, muris sexangularibus, crassis octo pedes, longis fere octoginta pedes, quantum ex luderibus & angulis, obtuso uno, altero recto, licet conjicere,

atque

atque rupibus ambientibus, quibus murorum fundamenta, pedibus fere tribus adhuc alta, imposita sunt, concluso, magnifico, adeoque vel sancto, ad propugnaculum, aut templum forte condito, ab Aprilis fine, usque ad finem Octobris anni 1700. effossa sunt jussu Serenissimi Ducis Wirtembergici DN. EBERHARDI LUDOVICI, post inventa aliquot exemplaria, ex luto, plus quam sexaginta cornua, seu corniformia corpora, quæ alibi Unicornu seu ebur fossile dicuntur, à pede uno, usque pedes decem & amplius longa & incurvata: quibus immixta sunt innumera ossa, primo grandia, ut maxillæ, dentes molares maxillis infixi & singulares, scapulæ, coxendices, femora, craniorum scuta, vertebræ, & hæc omnia elephantinis similia, nec non magnitudine æqualia: deinde mediocria, velut bestiarum domesticarum, sylvestrium, rapacium & ignotarum, nempe craniorum quoque partes, maxillæ, dentes molares, incisorii & canini, costæ, ossa anteriora & posteriora, vertebræ, scapulæ, tarsi ossa, pedum digiti, & ungularum atque unguium nuclei: porro parva, quasi minorum bestiarum, domesticarum æque ac sylvestrium: denique minima velut murium & glirium, eaque fere omnia, non figurata tantum, sed & organica ipsa, quoad conformationem externam & internam, quod ex collatione genuinorum apparebit, sed non amplius ossea, si dentes plures saxeos excipias, margâ tectos & repletos, verum partim quasi calcinata, partim petrefieri incipientia, illaque utplurimum fracta & distracta, neque sibi cohærentia; inter quæ tamen nulla humanis possunt comparari, nisi pro giganteis grandia illa aliquot sumantur. Adsunt verò & informia quædam, ut globi seu massæ ex marga aut bolo, silices marga tecti, lapides quidam digitati, frusta multa magna primo intuitu informia apparen-

tia,

tia, corticem tamen, laminas & ſpongioſos tubulos atque canales organicorum oſtendentia. Inventa quoque ſunt intra rupes pulvere pyrio ruptas, oſſa organica petrefacta & fuſca, rupibus includentibus colore ſimilia: cochleæ etiam parvæ in ſaxeo illo, ex luto, arena, ſale, ſilicibus & martiali minera concreto, ut in luto ipſo: margæ etiam grana & ſtriæ ſeu radii, & tabellulæ, quaſi ſemina, ex quibus reliqua informia, forte & cornua concreverunt. Hic denique notandum, ubi ad viginti pedes effoſſa eſſet terra ſeu lutum, ſtratum illud cornuum & oſſium ceſſavit, hinc ſola terra ſine oſſibus reperta, deinde inferius rufa & lutea terra mixta lapideis & martialibus particulis, qualis circa Salſulam balneis ſalutaribus celebratam & transfluentem Canſtadienſem, coagulata reperitur. De his foſſilibus Canſtadienſibus, an ſint mere mineralia & Naturæ luſus aut artificium, an animalium partibus mixta, rogatur prudentiorum judicium, quale expectat ab Exc. Vra. Cultor obligatiſſimus Salomo Reiſel. D.

Stutgardiæ 10. Febr. 1701.



OEDIPI

OEDIPI OSTEOLITHOLOGICI
Pars Prior, quæ est Historica.
§. I.



I ad petitionem Virorum clarissimorum humanissimam, promto responsionis officio minus feliciter sum defunctus, veniam, ut spero, mihi conciliabunt, tum aliquot hucusque objecti impedimentorum obices, tum ipsius argumenti dignitas, & abyssus fere inaccessæ indaginis. Quò magis enim relationem de fossilibus *Canstadiensibus* mihi gratissimam, mente revolvo, quò magis ipsa specimina, quæ hucusque videre mihi datum, oculorum aciei subjicio, eò magis revera menti meæ dubitationum, controversiarum ac difficultatum impedimenta se offerunt. Ita ut pene mihi videatur, sapientissimum rerum Conditorem & Gubernatorem, nonnunquam ambitiosis hominum mentibus, ejusmodi rerum naturalium Chimæras objicere, ad reprimendam quorundam nasutulorum arrogantiam, qui se jam totum Naturæ plagum exhausisse, non tantum sibi, sed etiam aliis persuadere conantur. Multo consultius itaque in rebus hujusmodi abstrusis, dubitationes movemus, & ad τὸ ἐπέχειν, suspendendo judicium, recurrimus, donec meliora occurrant, quàm cæco præjudiciorum ductu, leviter conceptas opiniones, tanquam indubitatas, & ultrò amplectimur, & pro numerata pecunia aliis obtrudimus. Sic dum conjectura mea, de modo existendi horum ossium fossilium, à Viris doctis examinatur, quam ex nutu Illustris Viri, Domini *Valkenierii*, communis literatorum Mecænatis, consignavi literis, optimo instituto dubium mihi movetur, de loco, *Plutarchi*, quem citavi, ubi Piaculorum & Supplicationum ritus

 secundum

ſecundum Gentiles, huc trahendi, explicentur. Conſulatur itaque hujus authoris liber de Iſide & Oſiride, ubi is inter cætera ſic: *Magno autem æſtu incidente, ac moleſto, qui ultra modum adducat vel peſtilentes morbos, vel alias inuſitatas calamitates: ſacerdotes quædam eorum, quæ coluntur animalium, abducentes tacitè in tenebras, terrent primùm ea minis: ſin malum duret, immolant atque mactant: tanquam ſupplicium aliquod genii hoc ſi eſſet, aut aliàs expiatio magni mali magna,&c.* De Aruſpiciis etiam & Hoſtiis injugibus & eximiis nuncupatis, quædam huc trahi poſſunt, ex *Macrobii Saturnaliorum libris* paſſim, & in ſpecie è lib.III. c.V.

§. II.

Sed ſic forte allegata, tanquam generaliora, rem acu, quod dicunt, minus tangere videbuntur, plura im promtu ſunt, eaque ſpecialiora exempla: quæ tamen nobis reſervabimus, donec alteri dubio clavi Viri, de equorum immolatione, (quorum plura oſſa è caverna *Canſtadienſi* videri videntur,) ſit ſatisfactum. Revera itaque non tantum extant authorum probatorum teſtimonia, de tumulis equorum, qui erga dominos dum viverent, benefici extiterunt, ut videre eſt apud *Plinium* lib.VIII. c.41. & ſeq. ſed etiam has beſtias in ſacris publicis immolatas eſſe à Romanis, fidem facit idem lib.XXVIII. c.9. p.511. lit.48. Iidem Romani in equeſtribus ludis equum immolabant Marti, teſte *Plutarcho*, quæſt. Roman. XCVII. Item exemplum equæ pro virgine immolatæ, habet idem *Plutarch.* in vita Pelopidæ, tom. I. pag. m. 463. lit. a.

§. III.

At multò majora adhuc, confiteor, diſquirenda ſunt. Adeſt oſſium diffuſa multitudo, adſunt diverſiſſima diverſorum animalium, maximorum, minimorum, oſſa dentesque. Sed hiſce quoque difficultatibus obviam ire poſſumus, ſi ritus veterum tum Romanorum, tum Germanorum ſacrificandi adcuratius conſideramus. C. Marius enim illuſtre nobis exemplum præbet, imperator Romanorum contra Helveticas & Germanicas gentes famoſus; is enim in noſtris oris cum Cimbris præliaturus, diis vovit

immola-

immolaturum se centum boves: Catulus socius ejus Fortunæ ejusdem diei ædem, vid. *Plutarch.* in vita C. Marii, p.m. 166. lit. d. Qui imperatores, cùm eo tempore victoriâ sint potiti, quis negabit, illos forte his ipsis in regionibus, ubi tunc secunda fortuna præliabantur, pro religione gentis stetisse votis? Quid quod dicam, de diversitate victimarum, quas præter modo dictam Hecatomben, ab ἑκατὸν, centum & βοῦς, bos, secundum quosdam, diverso instituto litabant diis, veteres gentiles tam Germani, quàm Romani: homines nempe pro piaculo Romani immolarunt, comprobante id *Plutarcho*, Quæst. Roman. XXCIII. Et de Germanis sic habet *Cornelius Tacitus*: *Deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoq; hostiis litare fas habent: Herculem & Martem concessis animalibus placant: pars Suevorum & Isidi sacrificat, de moribus German. §. 4.* ut plenius id & specialius comprobat *Elias Schedius*, de DIs Germanis, Syngramm. II c. 31. Inter bestias vero piaculorum, &c. loco sacrificatas, maxime memorantur, canes, capræ, sues prægnantes, vaccæ prægnantes, & quæ non animantia? à citatis Plutarcho, Macrobio, Plinio, Gesnero, &c. passim. Imo nec ipsos mures à victimarum censu exemtos fuisse apud idololatras, fidem facit cit. *Schedius*, Syngramm. I. c. 4 pag. 92. Et *AElianus*, de animalibus id tradit, ut refert *Gesnerus*, in descriptione muris, *mures adorari ab his, qui Troadis Hamaxitum incolunt. Tum verò apud eos sminthes (mures) cicures alunt, eisq; victus publice præbetur, atque infra altare, ubi degunt, latebras habent.* Hecatomben autem quod attinet, notandum est, quod licet secundum institutum, proprie centum bobus aliàs institueretur, tamen postmodum bestiis monoris pretii diversis quoque, in rerum necessitate celebrata sit. Vid. Grand Dictionaire Historique par M. *Louys Morery.*

§. IV.

Sed, unde quæso! non dicam molossæos, sed colossæos illos dentes, maxillas, ossa, aut si mavis cornua fossilia, copiosa, maxima, quorum caverna *Canstadiensis* promtuarium est, arcessimus? In hac re, mehercle, si unquam alibi, hæret aqua. Si pro anima-

lium oſſibus hæc ſunt habenda, certè inquilinorum eſſe non poſſe cuncta, videtur. Itane ex ipſa India vel Africa feris & belluis, nobis haud quotidianis, frequentibus, deducenda erunt? Quid multis? Elephantorum eſſe (Venerandi *Reiſelii* verba ſunt,) figura & magnitudo, & conformatio ipſa interna & externa, urgent credere. Verum fides hiſtorica mihi deficit, qua aperte probare poſſem, elephantos unquam eſſe immolatos, niſi meam faciam *Plutarchi* authoritatem, de illis quaternis, à Ptolomæo Philopatore mactatis, quo numini gratias perſolveret pro victoria. Quid vero, ſi velimus ſuſpicari, quod forte Romani, pro aſtutia eorum, tanquam Africæ Indiæque terror, & partim domini facti, ex hiſce regionibus devictis accepta hujuſmodi incognita tunc in his oris monſtra, contra Germanos aliàs inſuperabiles, in prælia conduxerint, & quos bello & armorum virtute ſuperare non poterant, belluis hiſce maximæ molis & inuſitatæ formæ, terrerent atque fugarent. Majores enim noſtri armis inhiantes, ſeriusque literarum notitia imbuti, hoſtibus Romanis relinquere ſunt coacti, quidquid vellent, de Germanorum virtute bellica vel recenſere, vel reticere. An autem Romani tantam vaſtitatem (ut cum Plinio loquar,) ſuis expiationibus (de quibus poſtmodum ſpecialius,) intermiſcuerint, an verò ipſi Germani ſuperatis hoſtibus, diis ſuis hujuſmodi belluas cum aliis animalibus voverint, anceps in medio relinquo. Morem tamen hunc exprimit *J. Cæſar* lib. VI. Comm. bell. Gall. *Celtæ*, inquit, *Marti, cum prælio dimicare conſtituerint, quæ ſuperaverint animalia capta immolant, reliquasq; res in unum locum conferunt: multis in civitatibus harum rerum exſtructos cumulos locis conſecratis licet conſpicari*; conferatur cit. *Schedius*, Syngramm. II. cap. 34.

§. V.

Et ſi heic objiciatur multitudo corniformium corporum, quorum ſex menſium ſpatio plus quam ſexaginta majora, minora, ſunt effoſſa, & quæ à quibusdam pro dentibus elephantorum habentur: tantum enim elephantum numerum in uno loco vix unquam vidiſſe Europam, ſi ſingulis ſaltem bina dicantur. Sed hiſce

hisce respondere possumus, quod, uti historicorum incuria, vel partium studio, (cujus ipse *Cæsar* insimulatur à Maximiliano Imp. apud *Aventin* l. II. Annal. Boj.) multa latere possint notatu dignissima; ita etiam fastui Romanorum nihil non conari & exequi, integrum fuerit. Certè, quod Romani in bellis contra Germaniæ gentes elephantibus sint usi, fidem facit *Plinius*, dum l. VII. c. III. de docilitate eorum, sic perhibet: *Mutianus ter consul, autor est, aliquem ex his & literarum ductus Græcorum didicisse, solitumq́ perscribere ejus linguæ verbis: Ipe ego hæc scripsi, & spolia Celtica dicavi.* De eorum verò multitudine, qua potiti sunt Romani, eoque in contemptum decesſére, idem: *Roma plurimos, anno quingentesimo secundo, victoria L. Metelli pontificis in Sicilia de Pœnis captos vidit. Centum quadraginta duo fuere transvecti ratibus, quos doliorum consertis ordinibus imposuerunt. Verrius, eos pugnasse in circo, interfectosq́ jaculis tradit penuria consilii: quoniam neque ali placuisset, neque donari regibus. L. Piso, inductos duntaxat in circum, atque ut contemptus eorum incresceret, ab operariis hastas præpilatas habentibus, per circum totum actos. Ne quid deinde iis factum sit, autores explicant, qui non putant interfectos: lib. cit. C. VI. Pompei quoque altero consulatu, dedicatione templi Veneris victricis, pugnavêre in circo XX. aut ut quidam tradunt, XVII. lib. cit. C. VII. Pugnavêre & Cæsari dictatori, tertio consulatu ejus, XX. contra pedites quingentos: iterum totidem turriti, cum sexagenis propugnatoribus, eodem quo priores numero peditum, & pari equitum è diverso dimicante, &c.* c. l.

§. VI.

Aliam quoque heic controversiam, de vario modo sacrificandi & immolandi animalia, prævideo dirimendam; quæ nisi removeatur, conjecturæ meæ multum ponderis decessurum fore cognosco. Gentiles Superos & Inferos deos coluisse, iisque distinctim immolasse bestias, aras & altaria constituisse, ex monumentis veterum passim innotescit, quod annui quoque in epistola ad Illustrem Dominum *Valkenier*. vid. Procemium. Hanc veritatem loquitur inscriptio vetus Romana ex *Kirchmanno* notata à Sert. *Ursato*, Monumentor. Patavin. lib. I. sect II pag 90.

CORNELIA. ANNIA. NE. INDESO
LATA. ORBITATE. SVPERVIVE
RET. MISERA. VIVAM. ME. VLTRO
IN. HANC. ARAM. CVM. VIRO. CVM.
QVO. VIXI. ANN. XX. SINE. VL
LO. DO. LIB. LIBERTABVSQVE
NO. VT. QVOTAN. SVPER. ARAM
NO. PLVTONI. ET. VXORI. PRO
SERPINÆ. OMNIBVSQVE. SACRI
FICENT. ROSISQVE. EXOR-
NENT. DE. RELIQVO. IBI. EPV
LENTVR.

Terræ itaque eos consignasse piacula inferis dicata; superis utplurimum flammis litasse, verosimile est, quò suum cuique traderent numini. Sciendum itaque, sermonem hoc loco non esse de holocaustis, ex ὅλος, totus, & καυστὸν, combustum, quod genus est sacrificii, in quo tota hostia cremabatur. Id enim si intelligeretur, ossa tam bene conformata, à tot seculis superesse non potuissent: Quem ritum quoq; in veteris Testamenti libris si comprobatum videmus, incidenter notandum, hunc eundem, tanquam mysticum Christi typum, postmodum à diabolo, divinorũ operum simia, occœcatis gentilium mentibus, sub specie veræ religionis, maledicta tamen intentione, idololatriam per mundum propagandi, instinctum esse. Contrario autem modo se res habuit, circa eorundem Ethnicorum vota, piacula, lustrationes, supplicationes, in quibus exta tantum seu viscera exurebantur, postquam aruspiciis simul inserviviſsent. Eadem ratione supra. §. III. citatum C. *Marium*, instante prælio cum Cimbris, sacrificantem ajunt, quum exta ei porrecta essent, exclamasse: *Mea est victoria!* referente *Plutarcho*, in vita ejus. Clarior est locus, quo de Pyrrho refertur ab eodem: *quod lienosis existimabatur opitulari, quum gallum gallinaceum album immolans, supinis jacentibus, lienem pede dextro premeret leniter*; & dum subjungit idem: *Peracto sacrificio, gallum accipiebat, eratque hoc præmii ei gratissimum*; *in vita ejus*: inde liquet, eum gallum hunc non potuisse præmii loco accipere, si inter immolandum fuisset exustus.

exuſtus. Sic Plutoni exta tantum expoſita flammis eſſe in ſacrificio, *Maro* l.VI. Æneid. tradit:

Tum Stygio Regi nocturnas inchoat aras:
Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis,
Pingue ſuperq; oleum fundens fumantibus extis.

§. VII.

Tempus nunc eſt, candide lector! ut propius ad confinia *Canſtadienſia* accedamus, ut ſic eò felicius inſtituti noſtri terminum attingere poſſimus. De Numa Pompilio *Plutarchus* refert, *quod hunc memorent, primum Termini templa excitaviſſe, unde Terminalia feſta ortum duxere:* ſed ſubjungit idem: *Termino publicè & privatim in finibus agrorum immolant hoc tempore animalia, olim hoſtia erat inanima: docente Numa, debere eos deum Terminalem, quum pacis ſit præſes & arbiter juſtitiæ, cæde purum eſſe*, in vita ejus. Rhenus & Danubius communi ſcriptorum fide dignorum ſuffragio, termini fuerunt, ultra quos vix quidquam trophæo dignum arrogantia Romanorum contra indomitas Germaniæ gentes præſtitit; imo hos amnes, Germanicarum in Gallicum ſolum, (quo tunc Romani potiebantur,) incurſionum crebriorum obices habuiſſe Romanos, clare deducit ſæpe jam citatus *Schedius*, Syngramm I. c.I. Nonne *Canſtadium* itaque, quod inter utriuſque fluminis fontes & incunabula quaſi intermedium eſt, repagulum eſſe potuit & propugnaculum Romanorum contra Germanorum invaſiones? & ita ſimul ibidem celebrari potuiſſe Terminalia, à verò non admodum abludit. Sed magis adhuc arridet locus, quem ſuppeditat inquilinarum rerum ſcriptor haud obſcurus, *Aventinus*, dum de Rheno & Danubio ita: *Hi amnes*, inquit, *cum aucti aquis erant, ab omnibus, qui oram Galliæ, Rhetiarum, Vindelicorum, &c. incolebant, DIs honos habitus, gratiæq; actæ: quod ſi defeciſſent, aut ſiccitate decreviſſent, aut denique glacies ripas conjunxiſſet, omnis tunc ætas atque ſexus, viri, mulierculæ, ſenes, pueri, puellæ, publice & privatim indixêre juſticium: ab auguribus, ſacerdotibus, ſacrificulis feriæ conceptæ, ſupplicationes decretæ, circa omnia pulvinaria deorum ſupplicatum eſt: hoſtiæ majores, minoresq; mactatæ, & peculiaribus ceremoniis, ſacris ſolemnibus, votis & comprecationibus, Jovi*

Elicio operati sunt Pontifices minores, & Flamines maximi, ut impetrarent pluviam inundationemq; horum fluminum, ne Germanis pateret transitus: Annalium Bojorum, lib. II. pag. 63.

§. VIII.

Nonne quoque *Canstadii* nomen ipsum antiquitatem redolet? ut taceam, quæ etiamnum (venerandi *Reiselii* innitor autoritate,) ibidem Romanorum stativorum multa supersunt monumenta & vestigia, & quam modo circumferunt ejusdem districtûs novam Laconici sumtuosissimi detectionem. Nonne inquam, *Canstadium* antiquitus potuit esse, vel Cattorum statio, vel Catuli statio, imo forsan Canum statio? de quo Annales domestistici loqui deberent. *Catulum* in bello contra Cimbros, *Marii* socium fuisse, jam supra §. III. dictum est. Vel ex vocis allusione subolfacere possemus, Romanos ibidem habere potuisse canum venaticorum custodiam, imo fortè Dianæ ædem: & ita Cynopolim Ægypti, vel civitatem illam, quam honori defuncti canis constituisse Magnum Alexandrum, *Theopompus* scribit, imitari potuit. Si hodie adhuc, vix ullibi Germanicarum regionum, districtus venationi aptior Ducatu Wirtembergico reperitur, tam quoad sylvarum constitutionem, quàm quoad ferarum ad principum mensas expetitarum ubertatem: non minus id dicendum erit cæteris paribus, de antiquis illis temporibus, dum Germania adhuc, *Tacito* teste, *erat horrida sylvis*. Alludit *Claudianus* ad Styliconem, Panegyri prima, his versibus:

Ut procul Hercinia per vasta silentia sylvæ
Venari tuto liceat, lucosque vetusta
Religione truces, & robora numinis instar
Barbarici, nostræ feriant impune bipennes.

Cur reliquis Dianæ fanis soliti fuerint Romani, cervorum cornua affigere, ei quod in Aventino erat, boum cornua affixissent? disquirit *Plutarchus*, Quæst. Rom. IV. Itaque vetustioris etiam indaginis esse possent Serenissimæ Domûs Wirtembergicæ tria insigniorum cornua cervina, quàm vulgò creditur. Quod ad nemorum potentem dominam, eandem hanc esse cum Hecate,

Iside,

Iſide, vel Proſerpina, cui canes immolabant, præter *Kircherum*, Obeliſc. Pamph. lib. III. cap. VII. *Geſnerus* comprobat, de cane, pag. m. 230. & *Louys Morery* de Hecate refert, quod antiquitas fabuloſa ipſi tria nomina impoſuerit; erat enim Luna cœleſtis, Diana terreſtris, & Proſerpina infernalis, Grand Dictionaire hiſt. Caninorum oſſium non deficit copia in Canſtadienſi Hecatombe. Triceps dicitur *Ovidio* Hecate, quia tria habuit capita, dextrum equinum, ſiniſtrum caninum, medium ſuis agreſtis. Catulos Hecatæ pro cæna offerebant. Scribit *Sophron* & item *Lycophron*, à Diana canes jugulari: quin & ſpeluncam fuiſſe Hecates in Zerantho. Zeranthon eſt antrum Canivoræ deæ. Porro ait etiam *Phurnutus*, canes ideo Triviæ ſacratos, quod illi jugulari ſolerent. Canes à Caribus, &c. Marti immolari, *Apollodorus* & alii ſcripſerunt. Rubigo deo, vel Robigini deæ, ad arcendam ex ſegetibus robiginem, veteres menſe Aprili extis canis & ovis ſacrificabant, ut *Ovidius* in Faſtis teſtatur: vid. *Geſner.* c. I

§. IX.

Non eſt denique, quod exiſtimemus, tot ſeculorum decurſum, & tempus edax rerum, oſſa hæc ſuſtinere haud potuiſſe incontaminata. Salinum enim oſſium principium, quod balſami loco eſt, cum terreſtribus particulis combinatum, ea perennia reddere, & ratio & experientia loquuntur: imo eadem à conſortio terræ non uliginoſæ, ſed mineralis, ut eſt Canſtadienſis, in lapideam rigere conſiſtentiam, non eſt quod multis probem. Sic oſſa Romanæ hiſtoriæ principis T. Livii, (ſi fides habenda inſcriptioni ſarcophagi, in quo fortè reperta,) qui libros ſuos anno pòſt Chriſtum natum decimo ſcripſit, & quarto imperii Tiberii Cæſaris anno, vita exceſſit, etiamnum incorrupta Patavii viſenda exiſtunt. Quid quod dicam de fano quodam Toloſæ? *in quo*, referente Thoma *Bartholino*, hiſtor. anatom. cent. I. 62. *crypta eſt, in qua humati, per* 600. *amplius annos, illæſi ſuperſunt, cum pilis & cute candida, ut nepotes avos ſuos longa ſerie dignoſcere poſſint.* Imo Tulliolæ, Ciceronis filiæ corpus, regnante Sixto IV. Pontifice, Romæ in via Appia, per 1700 annos incorruptum eſt inventum, teſte Cæl. *Rodigin.* L. III. Ant. lect. c. 23.

Hæc ſunt itaque, candide lector! monumenta illa hiſtorica, ex quorum conſideratione mentem ſubiit, detectam hanc oſſium copiam, reliquias eſſe ſacrificiorum ſupplicium, ab Ethnicifmi temporibus hucuſque ſuperſtites. Quibus tamen, quia nec dum omnibus & ſingulis ſatisfactum eſſe difficultatibus eſt viſum, neque mihi, nec forte aliis, quæcunque ingenium torquent dubia, ſunt ſublata, phyſica quoque ſubjungere quædam ſubſidia, operæ pretium eſſe duxi, quorum beneficio, tanquam almæ veritatis lapide Lydio, hucuſque prolata adcuratius examinentur, neque *Ovveni* monoſtichon objiciatur:

Omnis noſtra fides pendet ab hiſtoria.

OEDIPI OSTEOLITHOLOGICI
Pars Poſterior, quæ eſt Phyſica.
§. I.

IN productione rerum, quæ præter vulgo notum Naturæ proceſſum, ex uno regno in aliud, aliquem transgreſſum faciunt, dum videlicet, animalia vegetabilium vel mineralium, vel mineralia animalium aut vegetabilium, vel denique vegetabilia, mineralium aut animalium dant veſtigia imo & ſpecimina, (ut revera eſt productorum triplicis regni harmonica quædam confœderatio & cognatio, non tantum quoad communia principia ſed etiam quoad eorum ipſam configurationem,) ritè conſiderandum eſt, num ejusmodi Naturæ producta vel ſuapte ſponte hanc vel illam figuram affectent & ſemper; an verò caſu aliquo ſuam conſiſtentiam & conformationem reliquerint, aliamque affectarint. Regulæ itaque hujusmodi ſunt proponendæ, quarum ope, ad ſuam claſſem quævis poſſimus revocare. Exempli gratia, *cùm natura, Agricola* teſte, de natura foſſilium, lib. VII. *lapides arborum ſimiles procreet, diligenter videndum eſt, an corticem & medullam aliaque habeant. Quæ ſi abſunt, non ſtipites in lapides converſi ſunt, ſed natura fecit lapides, ſtipitum ſimillimos.* Sic etiam *lapides*, ſecundum *Licetum, ſi non tantum externa linea-*

menta,

menta, sed etiam figuram intestinorum exprimunt, animalia secundum se tota in lapides conversa sunt, & præcipue in lapides salsos: vid. ejus lib. de Anulis antiquorum Cap. V. & quos citat. *Albert. Magnus & Avicennas.*

§. II.

Atqui de ossibus fossilibus *Canstadiensibus* ita comparatum est, ut nec minima notula partium externarum internarumve desiderari queat. Adsunt quippe cavitates fistulosæ; adest eorum consistentia porosa & partim spongiosa; nec desunt apophyses, epiphyses, symphyses, capita, acetabula, eaque cartilagineæ lævitatis. Nonne in maxillis conveniens laxitas interna, consistentia naturalis externa, alveolorum legitimæ contignationes? In dentibus verò nervulorum patens via, soliditas consueta, lævor, eorundemque conspicuæ radices? Imo prætereundum non est, quod inter illos reperiantur molossæi quidam, versus apices à masticatione admodum detriti & deplanati. Quid itaque hinc est inferendum? nisi quod sint revera, cæteris paribus, animalium ossa plus minus petrificata. Possemus quidem & inde argumentum desumere, quod hæc ossa artificio chymico tentata, sal volatile sustinuerint, ut Vir Clar. & Excell. Dn. Joh. Jacobus *Mejerus* nostràs, Medicus absolutissimus, amicus integerrimus mihi retulit: quod tamen in mineralibus & lapidibus non adeò est obvium: nisi & sal volatile coralliis ac ipsis Conchis fossilibus adcuratioribus inesset, experimentis D. Herm. Nic. *Grimmii*, in Anatom. Coralloid. in Ephem. N. C. Dec. II. Ann. I. Observ. CLXXIII. & D. Joh. Dan. *Gejeri*, de montibus Conchiferis Alzejensibus §. 16. pag. 17. licet id utplurimum ob insignem volatilitatem avolet.

§. III.

Negari quidem vix potest, quin tellus omnium rerum creatarum semina & principia in se contineat, tam earum, quæ ex ipsa nascuntur proprie & immediatè, quàm illarum, quæ vel volitantium constituunt nubes, vel quadrupedum greges, vel nutantium turmas: ζῶα inquam, φυτὰ & ζωόφυτα, telluri, almæ rerum matri vel propterea dictæ, sua debent incunabula principiorum.

Num verò & eadem animalium existere possit uterus, in quo non tantum generari, sed etiam vitalitatem adipisci, & ad justam quantitatis dimensionem pervenire queant, hoc operæ pretium est, disquirere. Revera quidem polydædala tellus est, vel ut clarius loquar, versutissimum est per recessus ejus disseminatum Naturæ principium activum, in concinnandis & continuandis rerum formis, & ubicunque summam perfectionem intendit: qua nisi potiatur, non hoc sui fit culpa, sed materiæ, in quam agit, inobedientiæ, seu principii passivi ineptæ dispositioni, id est attribuendum.

§. IV.

Ut abstrahamus hac vice, ab animalibus & vegetabilibus proprie dictis, observantur inter fossilia seu mineralia, præter ruderosas & casuales figuras, elegantissimæ icones, summam activitatem principii nitrosi multiformis, quod voco, demonstrantes, dum id in ipsis lapidibus vim suam exerere non desinit. Sed istæ figuræ perfectionis gradu inter se sunt distinctæ: vel enim 1. *pictæ* sunt tantum, ut videmus in Achate, Dendrite, &c. vel 2. *sculptæ* quoque, ut passim extant multæ, striis nempe & incisuris elegantioribus conspicuæ: vel denique 3. *cælatæ* seu elevatæ, in longum, latum & profundum extensæ. Hujus itaque tertiæ classis corpora, vel ostracodermata seu testacea, vel plantas, vel animalia eorundemve partes referentia, aut erunt petrificata, aut per se à plastica principii activi virtute elaborata. De priorum, nempe petrificatorum existentia, non est quod dubitemus, cujusmodi & ego unum ac alterum specimen cum signis antea §. I. Partis poster. propositis, penitus conspirantibus, in scriniolis meis asservo. Posteriora verò demonstrari videntur, à natali solo adæquato, quod sunt montium quorundam juga, vel certi districtus, à multitudine, continuò sublatis non cedente vel deficiente; à matricibus è quibus suo tempore excluduntur; à quorundam figura propria, & cui nulla cum ullo vegetabili aut animali, aut animalium testis seu partibus, intercedit similitudo aut formæ aut magnitudinis; ut sunt: belemnites, cornua Ammonis, lapis Isidis multimammius, improprie ovum anguinum aut echinites dictus, ombria, brontia; à Conchite ex mero sabulo compacto, cujusmodi quid monstrare possum, &c.

§. V. Nec

§. V.

Nec istis contenti nonnulli haud infimæ notæ Medici & Philosophi, ulterius adhuc progrediuntur, statuentes, (ut antea me pervestigaturum esse promisi,) quod in ipso terræ & lapidum durissimorum meditullio, animalia quædam generentur: consulantur in hanc rem, *Agricola* de animalib. subterr. *Matthiolus* in præf. 5. Dioscorid. *Theobald.* Arcan. nat. *VVorm.* in Museo, alii. Imo observatum esse, *Gaffarellus* in suis curiositat. inaudit. aliquot exemplis probat, lapides istos, & alia, quibus serpentes, scorpii, bufones, &c. figurantur, si in loco esse contigerit, quo propter materiæ habilitatem talia generari possunt, in similia, non alius generis insecta mutari, *Parte II. §. 6. pag. m 93.* Quæ testimonia eò minus quidem sunt rejicienda, quia & ipsi regioni aëreæ à viris fide dignis pediculorum, vermiculorum, ranarum, murium, piscium, &c. pluviatim deciduorum genesis, rationibus non minus, quam exemplis haud rejiciendis, conceditur: vid. *Kircherus* de Peste, *Terzagus* Musei Septaliani Cap. XVIII. pag. 45. *Cysatus* in descript. Lacus Lucernens. Cap. XX. M. Georg. *Michael,* in Notis ad *Gaffarell.* & qui apud eosdem citantur, *Plinius*, Olaus *Magnus*, Olaus *VVormius,* &c. Nec rejicio testimonium eorum, qui de mola minerali seu carne fossili, aliis Sarcite, mirandas recensent historias, utpote Zach. *Theobaldi* in Arcan. Natur. Andreæ *Libavii* Sing. Parte I. Thomæ *Bartholini*, de luce animal. lib. III. Cap. 7. Sic dum Bernæ Helvetiorum & in ejus districtu anno 1628. pestifera lues grassaretur, ibidem & in Argovia passim, carnis recentis magna frusta à porcis è terra sunt eruta, cujusmodi & in hortis dum areolæ effoderentur est reperta; & venerandus Parens meus p. m. suis oculis vidit fumo arefactam partem, beato nunc avo meo postmodum missam: quæ verò à bestiis vi adactis degustata, ut ejus temporis habet relatio, iis mortem accivit. Omnia ista, & plura ejusdem farinæ, licet probatæ veritatis exempla, nulla tamen necessitatis lege evincere possunt conceptam opinionem, de fossilibus *Canstadii* ossibus, quatenus à me vera animalium reliquiæ pronunciantur.

§. VI.

Primo enim magnum diſcrimen eſt, inter animalium perfectiorum generationem; licet enim omnia viventia maxima, minima, ſalubria, venenata, ex ovulo producantur, tamen magis ſpontaneus eſt horum imperfectiorum, quàm perfectiorum, minorum, quàm majorum ortus: ut ita non tantum multò citius à leviori fermento excitentur & excludantur, quam majora & perfectiora, ſed etiam non adeò adſtricta ſint ad determinatum locum, quin facile in actum deduci & vitalitatem adipiſci queant, modo in ſuperficie terræ, modo infra eandem, modo in aquis, & liquoribus aliis, imo nonnunquam in ipſa admoſphæræ regione, ſi ſaltem adſit legitima principii ignei ſeu fermenti vitalis nitroſi activitas, principii paſſivi aquei combinatio, & terreſtris obſequium. Ita ut hac in parte non poſſimus non de inſectorum inſuperabili fœcunditate idem, quod poëtarum princeps quondam de ſegetum abundanti noxa, conqueri:

Infelix lolium, ſteriles dominantur avenæ.

Non tantum itaque ex vivo oritur vivum, ſed ex inanimatis prodire poſſunt animalia indeterminatè. Ut de pluribus, & propriis quidem haud paucis experimentis circa productionem animalculorum ſpecie diſtinctorum ex diverſis vegetabilibus, hac vice tacam, quæ ab aliquot jam annis feci, & quorum deſcriptionem commodiori reſervabo occaſioni, ſufficiat nobis copioſiſſima & admodum præcox murium generatio, quæ in navibus licet modo exſtructis, præcipue ſal vehentibus, cum admiratione animadvertitur, & cujus rei veritatem, præter alios, *Jonſthonus* in Taumatograph. Claſſ. IV. cap. 4. demonſtrat. Quæcunque itaque ipſa quoque terra, præter vegetabilia & mineralia, exuperante naturæ fœcunditate ſeu per ſuperfœtationem immediate producere poteſt, erunt vel informes moles, ut de mola minerali ſeu carne foſſili jam dictum eſt, vel ejusmodi animalcula, quæ licet ſuis membris, vaſis, muſculis, tendinibus, &c. quoque ſint inſtructiſſima, tamen ad ſui productionem, potius putreſcente, quàm figente ac perficiente indigent fermentatione, & ita indeterminato loco & tempore, niſi principii paſſivi obſit tenacitas, ipſam vitalitatem adipiſcuntur;

quæ

quæ tamen, uti citò fit, ita etiam citò perit, quod præſertim in Ephemeris animalculis palam eſſe poteſt, de quibus conſulatur *D. Jo. de Mey*, in append. Metamorphoſeos inſector. *Jo. Gœdardi*: ſin autem idem principium paſſivum minus adhuc fuerit aptum, ſaltem horum animalculorum exhibentur imagunculæ cœlato quaſi principii nitroſi opere conſpicuæ. Sed de animalibus majoribus, perfectioribus, quadrupedibus, jumentis, &c. vix unquam demonſtrabitur, quod alio modo, alio loco, brevioriq́ue tempore, quàm per congreſſum maſculi & femellæ, in utero adæquato & proprie dicto, concipiantur, & conſtituto, pro diverſitate ſpecierum tempore, excludantur.

§. VII.

Secundò, ſi objiciatur, oſſa *Canſtadienſia* foſſilia, non pro verarum beſtiarum ſub ipſa tellure genitarum oſſibus, ſed pro luſu Naturæ haberi poſſe, quatenus eadem undique ſummam perfectionem rerum quidem intendens, deficiente tamen loco adæquato & materia ſufficiente, facit quod poteſt: ut ita quoque hîc, loco animalium vi ſua plaſtica animalium oſſa fingere potuerit. Iis autem reſpondendum eſt, multò aliam rationem eſſe illius foſſilis, quod oſteolithos vocatur, quaſi os lapideum oſſeum dixiſſem, quàm eſt oſſium foſſilium *Canſtadienſium*. Oſteolithos enim ſeu oſteocolla, eneoſtis, &c. nihil cum oſſibus habent commune, præter externam aliqualem figuram: ſubſtantia ipſis vel lapidea, vel gypſea, vel cretacea deprehenditur, neque verorum oſſium habebunt internam configurationem, ſed ponderoſiora, denſiora ſunt & ſolidiora corpora. Multò inquam, aliter comparatum eſt, cum oſſibus foſſilibus *Canſtadienſibus*; præter enim exactam diverſorum animalium figuram externam oſſium, exacte poroſa, ſpongioſa, vel tubuloſa quoque ſunt, nec decens adeo ipſis decedit pondus, præcipue dentibus, qui aliàs multò ſunt durabiliores. Ex iſtis itaque differentiis ritè examinatis, deſumere poſſumus ſigna diagnoſtica foſſilium figuratorum, num ſint vel ex ſe genita ſeu ſui generis; ſin minus, num vel petrificata, vel calcinata: ut inde conſtituatur regula: Figurata ex ſe genita foſsilia, graviora &

minus

minus exacta sunt iis, quæ repræsentant. Quæ cùm ita sint, non video, cur ossa *Canstadiensia* meri lusus Naturæ vocari possint.

§. VIII.

Sint etiam licet horum ipsorum ossium quædam graviora, quædam leviora; istud discrimen dependebit, vel 1°. à diversitate ossium in se consideratorum, quatenus videlicet tibiæ pars media naturaliter est solidior ac densior, quàm versus articulum; maxillæ cortex, quàm pars interna; & dentium nucleus seu corona, quàm radix: imo omnium ossium dens est solidissimum, densissimum, omnem pene corruptionem eludens. Ut ita, quod mirum, dentes facilius animali superstite cariem contrahant, (præcipue in hominibus palato inservientibus,) quàm per plura secula humo concessi. *Incorrupti enim hoc hospite permanent; ut sint semina fructificaturi corporis in resurrectione*, auctore *Tertulliano* L. de Resurrect. quemadmodum Corn. *Agrippa ex ossiculo Sesamoideo maximo, defunctum hominem aliquando resuscitandum somniavit*, ut habet *Bartholinus*, de luce animal. l. I. C. XIII. Istas verorum ossium differentias ad amussim congruentes in nostris *Canstadiensibus* animadvertimus.

§. IX.

2°. Ponderis diversitas quoque in ossibus (de quibus tractamus,) *Canstadiensibus*, dependet ab eo, quod alia plus, alia minus sunt petrificata. Notandum est enim, ossium compagem porosam, alcalinorum terrestrium ad instar, non tantum in ipso viventium corpore, acidas sanguinis particulas singulari quadam propensione & aptitudine, in salinas proprias, tanquam in ferro & magnete videmus, ultrò suscipere iisque assimilari, ut id egregiè notavit Nob. & Exc. D. D. Joh. Jac. *Osvvaldus* nostras, fautor mihi exoptatissimus, in Disputat. inaugurali, de Pædarthrocace, habita Basileæ anno 1687. thesi XIII.

Sed eandem operationem ossa retinere existimandum est, postquam terræ jam diu fuere demandata. Spongiosiora propterea, laxiora & porosiora, citius & facilius, quam compactiora, succum salinum figentem, seu si mavis, spiritum lapidescentem in sese imbibunt;

imbibunt, & nonnunquam longe aliam à priſtina, conſtitutionem, laxioribus potiſſimum imprimunt; quod non adeò obſervatur in compactioribus, quæ facilius calcinantur ſucceſſu temporis, quàm petrificantur.

§. X.

Iſtis differentiis ni fallor ſufficienter prælibatis, diſquirere quoque tenemur, quo pacto oſſa ſub terra augmentum capere poſſint. De lapidibus quidem non eſt, cur multis probem, num creſcant. Creſcunt revera, in adæquato loco detenti, iterumque ſuo tempore decreſcunt, & in ſabulum mutantur, continua rerum naturalium tranſmutationis lege. *Experientia convictus didici*, inquit G. B. de S. *Romain*, in Phyſicæ ſcholaſticis tricis liberatæ parte IV. cap. 22. *magnam partem lapidum multiplicari, & creſcere, ſecundum omnes ſuas dimenſiones, & arenam mutari in conchas.* Et illuſtris *Peireskius*, qui inſtar omnium erit, (teſte *Gaſſendo*, in vita ejus, anno 1630. pag 147.) non ea fuit ſententia, ut exiſtimaret, omnes lapides à mundi initio formatos: ſed voluit, temporis progreſſu pleroſque ita fieri, ut ſinguli originem debeant ſuæ materiei, propriisque ſeminibus, configurationem verò partim ad *naturam*, partim ad *caſum* referant acceptam. Nam cum omnium materies ſit aqua, ſeu liquor, aut ſuccus: exiſtimavit, variis in locis contineri varia rerum ſemina, ac ſpeciatim lapideum, quod liquori immiſtum, lactis inſtar ipſum coagulet, ſpecialemque imprimat formam, cujuſmodi & is indubitata exhibuit experimenta, *c. l. anni* 1598. *pag.* 11. & cujuſmodi mihi in ſcriniolis meis ſunt ſpecimina non rejicienda. Sed quid aliunde petimus, quod in nobismet ipſis invenimus? Nonne quoque corpus humanum latomias aliquando conſtituit? Hanc veritatem loquuntur hiſtoriæ & obſervationes paſſim multæ, quas inter legi merentur Joh. *Kentmanni* ad Conr. *Geſnerum*, de lapidibus in hominum cerebro, in tonſillis, in tumore ſub lingua, in pulmonibus, in hepate, in folliculo fellis, in renibus, in veſica, in inteſtinis, in ſteatomate cruris, in vulneribus, in extremitatibus digitorum, & ubi non? generatis & auctis. Ut ita materia adæquata lapidum ſit, quidquid habet poros &

foramina, quæ ſuccum lapideſcentem ſeu acidum figens ſuſcipere poſſunt; ſive id in corpore viventium, ſive in aquis, ſive intra terram contineatur: vel, ut modernorum mos eſt loquendi: quorumcunque corpuſculorum quies & mora, preſſu elateris invicem inſinuatorum, vel cuneatim nexorum, vel penetrantium, ab externo fluido, ſecretorum, opus hoc lapideſcens abſolvunt. Ab iſto quoque principio ſuam exiſtentiam agnoſcunt frutices, arbores, animantia, oſſa & alia, in lapideam conſiſtentiam converſa.

§. XI.

Non quidem meam hic faciam paſsim divulgatam opinionem, de cornibus boum, quæ circa Goam radices agere & creſcere dicuntur: jocum enim ſubeſſe, quo Luſitanis illudunt, cum mulieres Goæ admodum luxurioſæ ſint, demonſtrare conatur Franciſcus *Redi*, in Experimentis naturalib. pag. 162. ſeqq. licet in contrariam partem aſſerat *Borellus*, ſe cornua vervecina & bubula vidiſſe, quæ radices in terram egerant, *Cent. IV. obſerv. 52.* Sed animus ſaltem eſt, calamum ad geneſin præcipue cornuum foſſilium *Canſtadienſium* adſtringere: in ea enim totius rei cardo vertitur, & qua intricatiſſima feliciter expedita, reliqua ejus loci foſſilia, facile ſuum invenient ortum. In illis quidem conquieſcere potuiſſemus hiſtoricis monumentis, quæ parte priore propoſuimus, quibus problematice probaremus, corniformia hæc corpora dentes elephantinos eſſe potuiſſe. Sed fateor, aliquot obſtacula adhuc dum in mente mea nidulantur, quibus non niſi phyſicis ſubſidiis obviam iri poſſe cognoſco. Eſt nempe major eorum quantitas, quàm unquam uno in loco Germaniam vidiſſe Elephantes, ſit exiſtimandum: eſt magnitudinis eorum notabilis diverſitas: &, quod non Canſtadii ſolum, ſed etiam in aliis Germaniæ locis, ut prope Elbingerodam, prope Heidelbergam, Hildeshemium, item in Moravia, Sileſia, Haſſia, Saxonia, imo in ipſa Helvetia noſtra, &c. non tantum olim, licet non tanta copia, ſunt reperta, ſed etiamnum aliquando reperiuntur. Contrarium quoque ſuadere videtur, horum foſſilium corniformium paſſim prodeuntium, coloris, odoris, figuræ, conſiſtentiæ & contentorum diverſitas. Rem

denique

denique ancipitem quoque reddere videntur, margæ *Constadiensis* exigua grana, striæ seu radii, tabellulæ & tubuli, quasi semina essent, ex quibus, secundum quosdam, forte cornua hæc & alia, concreverunt.

§. XII.

Ne itaque in aliam partem inclinantibus Naturæ mystis, meis ultrò conceptis opinionibus tenaciter obstrepere videar, libentissime concedo, quod singula ista corniformia corpora dentes elephantini non fuerint, quoniam præter modo prolata argumenta, etiam alios inter lapides, Osteocolli & Belemnites, non tantum sicut cornua animalium, curvi, à basi aliquousque cavi, sed etiam odore ad cornu vel os ustum accedentes, inveniuntur, ut suo jam tempore, solertissimus & immortalis gloriæ Medicus Tigurinus, Conradus *Gesnerus* animadvertit, libro de figura lapidum, *Cap.I. fol.*8. *b. & Cap.V.* ab initio ferè. Quid autem, si statueremus, quod, licet hæc corniformia, prope *Canstadium* detecta corpora, ossa vel dentes, prout jam conformata, primò non fuerint, tamen sua incunabula, suam existentiam suamve propagationem alio modo animalibus hujusmodi, vel aliis debuerint? Nitrum revera, ille Naturæ figulus, promotor fertilitatis & fœcunditatis, licet tanquam Archæus terræ per se insit, tamen vis ejus plastica tandem effœta, non solum ab influxu continuo nitri aërei, sed etiam magis patenter ab urinis, fecibus & çadaveribus animalium continuò instauratur.

§. XIII.

Quid ita dicendum erit, de istis animalium corporibus, quæ prope *Canstadium* in terra calcario-nitrosa, cæteris paribus, per tot secula delituere? In hunc sensum conspirantia Zachariæ *Theobaldi* verba ut mea faciam, is lepide sic de calce refert: Der Kalch ist ein Schalk / kan sich mit andern Bergarten und Bergsäfften / befreunden / bevettern / beschwägern / und in guter Nachbarschafft vertragen / ꝛc. So ist er / liquescens cum hydrargyro, ein solcher Wurm / der sich hin und her drähet / windet / und etwas effigu-

riert/ nach dem sich die Materia als ein Thon darzu bequemet/ &c. Arcanorum Naturæ Sect. XXI. pag. 156. seq. Nonne ex illis, ossa corruptioni haud succumbentia, primò quidem citius, tardius, pro eorum laxiori vel strictiori consistentia (quò ante demonstratum modo,) petrefieri, postmodum verò successivè quædam, ob pororum aptam dispositionem, (ut quoque de lapidibus antea explicavi,) augmentum capere, & adpositione particularum, in longum, latum & profundum crescere potuerunt, retenta quodammodo archetypi figura? Hoc minime paradoxum erit consideranti, lithophyta, pseudocorallia, juncum lapidescentem, &c. quæ intus ligno constant, à lapidescentis principii externi fluidi adpositione, successu temporis admodum augeri, & in arbusculas nonnunquam mutari, non relicta priore plantæ figura, cujusmodi plura specimina ante aliquot annos in Italiæ Gazophylaciis videre mihi datum est. Imo Anselmus *Bœtius* refert, apud antiquarium Imperatoris se vidisse corallia variis coloribus, quorum surculi lignosi adhuc ex parte in corallium mutati erant, ita ut manifestè planta ipsa lignosa conspiceretur, & initium in ipsa corallii: *de lapid. & gemm. lib. II. Cap. CLIII.* Huc quoque referri potest, quod in agro Patavino ad Aponenses thermas, rotæ ligneæ molestrinarum, thermalibus illis aquis actæ, non multo tempore induant crustam lapideam candidam, quam molitores nonnunquam securi concussam, auferre tenentur, ne illæ pondere consistant; non secus ac in nostris regionibus brumali tempore glacie incrustatis succurrere tenentur.

§. XIV.

Ut itaque haud rarò in dentibus hominum ob victum minus exactum, (circa hoc vel præcipue ab aliorum viventium alimentis discrepantem, quod salinis particulis utplurimum abundet,) tophus seu tartarus copiosus ita coalescit, ut ab ipsorum dentium substantia vix discerni ac divelli possit: ita etiam inter fossilia *Canstadiensia*, quæ ossa, dentes vel cornua, mollioris aut tenerioris fuerunt substantiæ, & convenientiori loco contenta, eò facilius quoque potuerunt sibi fluorem mineralem salino-nitrosum contrahere, & successive tota mole augeri: ut quoque revera ipsum (quod dicitur) unicornu fossile, corpus progressivè auctum esse, lamellæ,

mellæ in quas est separabile, demonstraverint. Nec quoque desunt exempla dentium, qui humati creverunt. Sic in Miraculis mortuorum Henr. *Kornmanni*, Cap. XLII, memoratur, quod tempore Imperatoris Tiberii, in Sicilia cadavera aliquot mortuorum fuerint effossa, quorum dentes longitudine pedem viri superarint. Si quis itaque meam conjecturam in parte priore propositam, de dentium elephantinorum copia repudiare velit, haud rigorose obstrepam: modo in eo consentiat, quod sequitur. Cornuum bubulorum nuclei ossei passim haud raro nobis occurrunt in locis incultis, ad ripas fluviorum, & qui ex ipso fluviorum fundo nonnunquam extrahuntur, non tantum candidi instar gypsi, sed etiam admodum ponderosi: ita ut, nisi figura aliud suaderet, & multitudo pororum, quibus sunt stipati, à fossilibus terrestribus vix distinguerentur. Quid itaque vetat suspicari, quod ista quoque corpora corniculata porosa, possint existere fundamentum magneticum cornuum fossilium, uti aliorum locorum, ita etiam *Canstadiensium*? non secus ac Joh. *Ristius*, spongiosum os balenæ, ob porositatem suam, spiritûs universalis magnetem existimavit, *in sua Phœnice philosophica*. Sic enim soli natalis nullum adæquatum locum sibi requirit unicornu fossile, ut non tantum effodiatur è terra, sed etiam aliquando in fluviis reperiatur, ut id, quod ante annos in flumine Birsa prope Basileam repertum, demonstrat: Referatur huc ex parte priore, hecatombe, seu votivum C. *Marii* centum boum sacrificium.

§. XV.

Sed, ne in immensum crescat Dissertationis filum, dum ossibus quoque sub terra minerali contentis, crescentem & sese multiplicantem attribuo virtutem; conclusionis loco in subsidium voco, clarissimi Philosophi Fortunii *Liceti* authoritatem, qui non tantum plantas ac animalia in terræ claustris, quoad figuras, resuscitari posse docet, dummodo eorum ramenta supersint, essentiali sole non destituta; sed etiam aliquando ipsis artificialibus idem tribuere, non est veritus: *Ut ex ramentis*, inquit, *cadaverum tam plantarum, quàm animalium, retinentibus in se quamvis labefactatam formam &*

eſſentialem & accidentalem; ea forma potis eſt, in enaſcente ſpontaneo, conſimilem formam producere, vel potius ſeſe in priſtinum ſtatum revocare, ac denuo in conſpectum dare: pari ratione labefactatæ figuræ portio, ac ratio quomodocunque ſervata in ramentis rerum artificioſarum & naturalium lapideſcentibus, poteſt vel ſemel ipſam in aſpectum prodere, vel aliam ſibi conſimilem in materia lapidis producere, lib. de Anulis antiquorum, Cap.V.

§. XVI.

Ne denique minimas etiam objecti noſtri ditiſſimi negligamus circumſtantias, ab oſſibus *Canſtadienſibus* maximis & elephantina deſignantibus, uno ſaltu, quod miraberis, ad murium deſcendimus oſſa. Quid hîc locorum commercii, maximarum, quas fert tellus, belluarum, cum quadrupedum ferè minimis? Quodnam fatum poſt mortem conjunxit, quibus in vita nulla proportio, nullum conſortium, nulla concordia? *Elephanti enim*, authore *Plinio* lib. VIII. cap. X. l. 8. *animalium maxime odere murem: & ſi pabulum in præſepio poſitum, attigi ab eo videre, faſtidiunt.* Myites lapis, à ſimilitudine muris dictus, *Kirchero* quidem innotuit, in Mundi ſubterr. tabula, tomo II. lib. 8. cap. 6. ſed imagunculæ lapideæ cum murium oſſibus nulla intercedit comparatio. De mure agreſti, *Virgilius* in Georgicis:

Sub terra poſuitq; domos, atque horrea fecit.

Sed nec iſta poëtæ declaratio, omne fert punctum. Dum ſupra parte poſter. §§. V. & VI. de ſpontaneo quorundam viventium ortu ex terra, vel terra & aqua, vel ipſo aëre, dixiſſemus, mures quoque ſub hunc cenſum revocavimus. Cujus aſſertionis ne nobis ultra experimenta deſit authoritatis fulcimen, præter jam prolata, habebo ſequentia: Murium generatio, mirabilis præter cætera animalia majorem in modum eſt, tum numero, tum celeritate. Jam enim fœmina prægnante in vaſe miliario aliquando occupata, paulo poſt reſerato vaſe, muſculi numero viginti & centum reperti ſunt, *Ariſtoteles*. Mures Norvegiæ per tempeſtates & repentinos imbres ex aëre decidentes, & omnia virentia depaſcentes, prodit Jacobus *Zieglerus* in Scandinaviæ deſcriptione, & ex illo Conradus *Geſnerus*, de mure, pag. 828. Si parit humus (in vineis) mures,

res, minor fit vindemia, nisi totas vineas oppleveris muscipulis, quod in insula Pandatharia faciunt, *Varro de re rustica*, 1.8. In Thebaide Ægypti cum grandine pluit, mures in terra apparere audio, qui partim etiam nunc cœnum limosum, partim jam caro existunt, *AElianus*, & qui hoc idem pluribus probant, *Gesnerus*, *Albertus*, Diod. *Siculus*, *Macrobius*, *Plinius*. Si propterea tam indeterminatus est murium ortus, ut non tantum per coitum ex utero, sed etiam per fermentationem extra uterum procreari possint, nescio, cur iidem (ut modo citati authores uno ore testantur,) salis gustu quoque impraegnari sine coitu, & ita speciem propagare nequeant. Vel itaque feri potuit, quatenus corruptio unius, est generatio alterius, ut mures, quorum ossa, majoribus in hac crypta interspersa reperiuntur, ex putrefactione majorum animalium, per quam aliàs salia essentialia proliciuntur, sint progeniti, cujusmodi plura apud physicos experimenta memorantur, & in eodem loco, ubi vitalitatem adepti, absumta cadaverum carne, eorum alimento, mortem invenerint. Vel, (conjecturis locus est, si deficit absconditorum experientia,) hoc subterraneum cadaverum receptaculum, odore allicere quoque murium copiam, & postmodum casu obrutis, exitus praecludi potuit, quanquam ruinis imminentibus musculi praemigrare dicantur, *Plinio*, *AEliano*. Rationibus moniti, meliora sequemur. Licet enim hucusque probata, fatidica non fuerint, nec veridica fortè cuncta, haud tamen vanidica censenda confido.

Terentius Eun. act. I. sc. I.

--- Incerta hæc, si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.

F I N I S.